

licet eo emblemate mortem exprimere voverint, nisi aliam habeant in mente rationem arbitriam.

Funus deducere viri probi argumentum est apud illos; quare certatim omnes accurrere, simulque feretro pro sua singuli vice humeros subjicere contendunt, in partem honoris reputantes, si supremum illud officium in mortuum rependerint. Ita se à Patriarchis cæterisque Viris sanctissimis Ecclesiæ Judaicæ accepisse gloriantur. Nec rara sunt ea veteribus Christianis exempla, sicut & quædam hujus generis non infrequentia apud Paganos. Præter amicos & propinquos, doloris sui argumenta ejulatu & gemitibus exhibentes, erant & Præfixæ, mercede ad lugendum conductæ; Jerem. 9. 17. 18. Hac dicit Dominus exercituum Deus Israel: Contemplamini, & vocate Lamentatrices, & veniant: & ad eas, quæ sapientes sunt, mitemite, & properent: Festinent, & assumant super nos lamentum: deducant oculi nostri lacrymas, & palpebra nostræ desuuant aquis. Quia vox lamentationis audita est de Sion. Et Amos 5. 16. In omnibus plateis planctus: & in cunctis, qui foris sunt, dicitur: Vana: Et vocabunt agricolam ad luctum, & ad plantum eos, qui sciunt plangere. Et Ezech. 27. 29. 30. 31. casum Tyri exhibens, concursum facturos dicit gubernatores navium nautasque, ut potentissimæ Urbis fatium luceant. Et ejulabunt super te voce magnâ, & clamabunt amarè, & superjacent pulverem capitibus suis, & cinere conspergentur: & radent super te calvitium, & accingentur ciliciis, & plorabunt te in amaritudine anime ploratu amarissimo. Et assument super te carmen lugubre, & plangent te. Qua est ut Tyrius, que obmutuit in medio maris? Josephus historicus de Bello 3. c. 11. narrat, falsum de morte sua nuncium Jerosolymam delatum graviter aded civis accepisse, ut ad triginta dies luctum prorogarent; nec defuisse viros, qui conductis tibiâ cantoribus, majori pompâ funera celebrarent.

In Evangelio Matthæi 9. 23. legimus, deductam ad funera duodennis puellæ turbam ludentium tibiâ; qua in re Paganorum consuetudinem imitatos Hebræos credimus, cum nullum ejus maneat in Veteri Testamento vestigium. Huius per totum Orientem recipiendæ consuetudinis Græci, Romanique authores fuerunt. Ovidius Fastorum 1.6.

Cantabat mæstis tibiâ funebris.

Et Trist. Eleg. 1.

Tibiâ funebris convenit ista meis.

Funera hominum provecioris ætatis bucina comitabantur; juniorum verò tibiâ, ait Servius in Æneid. 5. Apud Romanos cautum erat, ne major numerus quàm decem tibiâ canentium in funebris adhiberetur. Apud Hebræos nefas erat minus quàm duos in funebris uxoris adhibere; quibus

addendæ erant Præfixæ, nunquam ab ea pompa removendæ [9]. De reliquo conditiones locorum, & personarum servabantur (r), eâ tamen lege, ut si Matrona aliqua virum genere inferiorem duxisset, in ejus funebris non viri, sed ejusdem foeminae conditio spectanda esset. Solemne est enim apud Judæos, Sponsam quidem superiorem viri conditionem sequi, inferiorem vel in ipsâ morte non sequi (s).

Olim publicos luctus Hebræi in testis domorum agebant. Isai 22. 1. Ascendisti & tu, ait, de Jerusalem omnis in testis. Clamoris Urbs frequens, Civitas exultans. Et de Moab c. 15. 3. In trivitiis ejus accincti sunt sacco: super testa ejus, & in plateis ejus omnis ululatus descendit in sætum. Eâ occasione, sicut etiam cum in Urbe aut vico inclutus aliquis decessisset, officinæ omnes clauderentur, quemadmodum & in obitu Drosillæ servatum à Judæis Alexandrinis Philo Judæus in Flac. p. 953. est auctor; & in magno Urbis Jerusalem infortunio annunciat Isaias 24. 10. fores domorum omnes claudendas, ut nemini aditus pateat. Laudat S. Epiphanius hæres. 9. quæ est Samaritan, legem quandam Mosaicam his verbis conceptam: Si transferit mortuus, ocludite januas ac fenestras, ne domus inquinetur. Jeremias in Cantico Jerosolymæ mala deplorans c. 9. 17. hæc inter cætera habet: Vocate Lamentatrices, & veniant. . . . docete filias vestras lamentum, quia ascendit mors per fenestras nostras, ingressa est domos nostras disperdere parvulos de foris, juvenes de plateis. Quibus verbis præ oculis habuisse Propheeta videtur legem à S. Epiphano laudatam.

Quicumque in pompam aliquam funebrem casu inciderint, inquit Josephus, debent se honoris gratiâ cæteris adjungere & lacrymas lacrymis miscere [1], quem morem spectasse facile videtur S. Paulus Rom. 12. 15. proverbii loco illud usurpans: Flere cum flentibus, gaudere cum gaudentibus. Et Jesus Christus Matthæi 11. 17. Cecinimus vobis, & non plangistis (u). Ecclesiastes 12. 5. Quoniam ibit homo in domum æternitatis suæ, & circuibunt in platea plangentes. Et Zacharias 13. 12. 13. luctum celebrem describens, ait: Planget terram familia, & familia seorsum. . . domus David seorsum, & mulieres eorum seorsum. Lamentabantur & mulieres Jerosolymitanæ, Jesum Christum ad supplicium prosequentes (x). Instantem etiam mortem suam doluit filia Jephthe paterno voto immolanda (y). Neque ab ea lege exemptas fuisse pauperculas Hebræorum foeminas tradit Maimonides, jubebantur enim illæ geminos lamentatores, atque lamentatricem conducere; pro ditioribus verò divitiarum modus servandus erat.

Solent in quibusdam locis cereos, sive faces incensas funeri deducendo gestare, teste Leone Modena p. 4. c. 8. n. 5. cujus tamen cæremonia nullum apparet in Scriptura vestigium, sicuti neque apud Judæos omnes obtinet, cum plura sint loca, in quibus nullus est, nec esse potest, si maxime vellent, cereorum apud Judæos usus. In

q Misna tit. Cetruboth c. 4. r Gemar. Babyl. ad tit. Cetruboth. c. 4. fol. 28.

s Gemar. ibid.

t Contr. Apion. 1.2. p. 1075.

u Vide & Luc. 7. 32.

x Luc. 23. 27.

y Judic. 37. 11.

In Concilio Narbonensi ann. 589. c. 10. legimus, Judæos olim in deducendo ad tumulum defuncto neque musica instrumenta, musicaque cantilenas adhibuisse; eoque nomine reprehenduntur, quod invectis ante aliquos annos Canticis, à veteri consuetudine recesserint. Cavet insuper, ne id unquam in posterum audeant, decretâ in transgressores multâ sex unciarum argenti, loci Domino solvendâ. Porro hunc morem cereos incendiendi derivasse poterunt Judæi ex veteri jam inde à concessa Ecclesiæ pace, receptâ in Christianos consuetudine, cujus etiam apparent vestigia in mandando sepultura corpore S. Paulæ, qua occasione Sacerdotes lampades, cereosque gestantes, pie foeminae parentarunt. Idem spectamus in Ecclesia Græca S. Chrysostomi ætate. Solebant autem plenâ jam die condi sepulchro corpora; & cum maxime funera essent conspicua, Virorum scilicet sive dignitate, sive literaturâ insignium, per vias & loca Urbis frequentissima deducebantur. Describunt Doctores Judæi funebres Rabbiorum pompas, easque apparatu magnifico celebratas jactant. Nec me fugit, Tobiam (z), noctu curasse defuncta mortuorum corpora; sed temporis Judæis infestissimi ratio habenda erat, cum scilicet sepultura eorum corpora mandari criminis loco haberetur.

Varia erant in Palestina sepulchrorum genera; vulgaria nempe in agris effossa, alia in petris montium excisa. Camera enim efformabantur in monte in unam vel plures cellulas distinctæ, quarum singule singula erant monumenta. Earum tamen situs, forma, & ornamenta pro artificis peritia, & personarum dignitate, locorum situ, petrarumque dispositione variabant. Abraham soluto pretio duplicem cavernam emittit juxta Hebron, qua in sepulchrum Saræ (\*), sicut & Abrahami, Isaac, & Jacob, cessit. Filiorum tamen Jacob sepulchrum in Sichem fuisse ex testimonio S. Stephani Actuum 7. 16. intelligimus. Porro hoc sepulchrum Abrahamo comparatum spelunca creditur in petra excisa & in binas cameras divisa, quibus plures cellule, totidem nempe monumenta, respondebant. Aaron satis sanctus, in monte Hor in Arabia sepulturae mandatus est, nec alibi facile quàm in spelunca ejusdem montis (a). In aliam speluncam ad radices montis Phasga Angelorum ministerio Moysis corpus illatum (b). Spelunca etiam sive camera in aliqua petra excisa in sepulchrum Eliseo obtigit, quod projectum festinatò defuncti cujusdam corpus, vix Prophetæ ossibus contactis, vitales spiritus resumpsit (c). Sepulchra Regum Juda in petra excisa spectabantur, cujus generis camerae hodie usque affabrè excise iter agentibus per ea loca monstrantur (d). Tandem Jesu Christi sepulchrum in petra erat excisa, quam sibi Nicodemus omnibus aliis ad id usque exclusis, paraverat [e]. Ejusdem tandem operis fuisse credimus Lazari sepulchrum; lapide enim ab officio remoto, Lazarus veluti reclusis foribus egressus est (f).

z Tob. 2. 4.

\* Gen. 23. 18. 19.

a Num. 20. 28. Deut. 10. 6. b Deut. 34. 6.

c 4. Reg. 13. 21.

d Vide nostr. Comment. in 3. Reg. 2. 10.

e Joan. 19. 41. f Joan. 11. 38.

Erant interdum loca sepulchris in Urbibus addita, uti Regum Juda, quæ Jerosolymis (g) & in hortis regis fuisse scimus (h). In monte Templi sive proximè ad locum sanctum, sepulchra quædam sita Ezechiel 43. 7. 9. insinuare videtur; futurum enim prædicit Deus, nequaquam ultra sacri montis religionem cadaveribus Regum iri violatum. Interdum in hortis juxta Urbem sepulturae corpora mandabantur. Vulgarium sepulchra sive cœmeteria extra Urbem rejecta erant, ibique varia variis assignata. Suus enim erat pro civibus locus, suusque ibi pro singulis familiis situs; alia item pro Judæis advenis, alia pro Paganis (i), seorsum enim habebant ab Hebræis originis sepulchra. Cura autem imprimis habebatur, ne sepulchra in regiâ viâ essent, metu ne forte aliquis imprudens super illa transiens pollueretur. Sed nihil erat, quod juxta viam ponere videretur, cum maxime signo aliquo ita distinguerentur, ut fallere neque imprudentem possent. Si omne abesse indicium, tum maxime cum in imo solo jacerent, extimâ superficie dealbabantur, uti ferunt, innovatâ singulis annis Februarii mense picturâ (k). Ad hunc morem alludens Jesus Christus Matth. 23. 27. exprobrat Pharisæis dealbati sepulchri hypocritarum; in extimâ enim superficie nitentia, intus tamen mortuorum ossa, & saniem continent. Alibi etiam Luc. 11. 44. eosdem Pharisæos latentibus cæcisque sepulchris comparat, quæ imprudentes, si forte illac transiverint, polluunt.

Pleraque tamen & celeberrima Palæstine sepulchra in cavernis constituebantur, totam artis elegantiam intus recondentia; si quid tamen esse potest elegantia in camera summo quidem opere, nec modicis impensis in monte excisa, defunctis mortuorum corporibus recondendis, in quæ cæca semper nox regnabat. Ne etenim magna sibi Hebræi construerent sepulchra, ab insitâ genti prudentiâ retrahebantur. Fatemur quidem superesse hodie nonnulla singularis prorsus structurae & artificii; sed horum recentissime sunt descriptiones, ab otiosis facile ingenii exercitationis gratiâ potius, quàm rei veritatis docendæ exhibitæ. Celebratur monumentum Rachelis juxta Bethel, cui sanè foemine erectam juxta tumulum columnam sive monumentum legimus Gen. 35. 20. Porro sepulchrum illud suâ quoque ætate spectari Benjamin Tudelensis (l) asserens, testatur, duodecim ibi lapides pro numero filiorum Israel constitutos superesse; constare autem monumentum illud eleganti quadam testudine, quatuor columnis suffultâ. Celebrantur etiam sepulchra Samsonis [m], Azaelis (n), & alterum quod sibi Absalom vivus posuerat, quanquam post obitum alibi sepulturae mandaretur (o). Monumentum illud appellatur in Sacro Textu, Manus Absalom, sive quod opus esset ejusdem Principis, five quod in sepulchrum ejus destinaretur. Sepulchra Macchabæorum in Modin armis & navium sculpturis, quemadmodum solet cum viris belli lau-

g 3. Reg. 2. 10. & 11. 43. & 14. 31. & 15. 8. & 24. 12. passim. h 4. Reg. 21. 18. 26.

i Matth. 27. 7.

k Basnag. hist. des Juifs 1. 7. c. 25. n. 9. & Jo. Nicol. de Sepulchris Hebr. 1. 4. c. 3.

l Itiner. p. 47.

m Judic. 16. 31. n 2. Reg. 2. 32. o 2. Reg. 18. 18.



p. Macchab. 13. 29. & Antiqu. l. 13. c. 11.

g Vide Nicolai de Sepul. Hebr. l. 3. c. 11.

v Vide eundem loc. cit. c. 13. pag. 185. Buxtorf. Synag. c. 35. Mulderus Judaifm. l. 1. &c.

s R. Salomon in Gen. 47. 29. Abarbanel, & alii. t Giglot hammetim.

\* 3. Reg. 2. 10. & 11. 43. & 14. 31. & 15. 8. & 24. 22. t 3. Reg. 16. 18. & 10. 11. 37. & 4. Reg. 10. 35. & 13. 9. 13. &c. s 4. Reg. 21. 18. 26. u 1. Reg. 25. 1. x Numer. 28. 33. 36. Deut. 10. 6. y Jos. 24. 33. z Jos. 24. 31. a Matth. 27. 46. b Genes. 35. 8. c 1. Reg. 31. 13. & 1. Par. 2. 11. d Gen. 35. 19. e 4. Reg. 23. 6. f 2. Par. 34. 4. g 4. Reg. 23. 17. h 3. Reg. 13. 2.

laude insignibus, ornabantur (p); quod unicum est sepulchrum, cujus structura non lateat. Aedificium est Simonis, ad guttum Græcorum in Syria tunc dominantium fabricatum. Sepulchris in petra excidendis plures regulas præscribunt Rabbi (q), quamquam nec de amplitudine camere, neque de situ, ac numero cellularum non satis inter illos convenit. Nec sanè certi aliquid definire possunt, vario enim locorum situi, & personarum censui respondere debuerant.

Post gentis dispersionem, Judæorum omnium unicum fuit votum, ut in Palestina defunctis corporibus suis sepulchrum contingeret. Dogmate enim certum constituitur apud illos, Hebræis omnibus, qui in resurrectione partem aliquam cupiunt, opus esse, ut in terra sancta sepulturam obtineant [7]. Qua inducti persuasione non desunt etiam nostrâ ætate Judæi, qui optati sepulchri potiundi spe in extrema senectute itineris illius incommoda alacres suscipiunt. Arbitrantur verò illi futurum, ut si alibi vitam agere contigerit, saltem post obitum per certos quosdam canales in ea loca devolvantur. Vix hæc in animum induxisse integram gentem nobis persuadeamus, nisi conceptissimis verbis à pluribus Scriptoribus unanimi consensu assererentur (s). Appellat devolutionem illam mortuorum circumvolutionem, sive cavernarum circumvolutionem (t); adduntque extremo diei articulo, qui ad vitam regrediatur fore neminem à Judaicæ religionis professione alienum. Alia sexcenta hujus saporis narrant, quæ præteritis se non pigebit.

Nulla erat constituta lex, certa sepulchris loca decernens; quare modò in Urbibus spectabantur, in hortis domorum, in agro, in montibus, juxta viam, sub arboribus. Regum Juda sepulchra constituta erant Jerosolymæ (\*); Regum Israel Samariæ (†). E Regibus Juda alii sepulturæ mandati sunt in hortis Regiis (‡): Samuel in ædibus suis (u), idest, ni mea me fallit conjectura, in domestico horto; Aaron (x), Eleazar (y), Josue (z), Jesus Christus [a] in montibus; Debora (b) Nutrix Rebecca, & Saul (c) sub arboribus; Rachel juxta viam Bethleem (d). Alienigenæ satis sancti Jerosolymæ in valle Hinnon, uti ferunt, sive Cedron [e]. Eo loci constitutus erat ager figuli emptus pretio triginta argenteorum, quos sibi in pretium dividendi Jesu Christi solutos Judas ad Sacerdotem retulit (f). Ibidem etiam fuisse credunt cæmeterium plebejum Jerosolymæ. Non rarò juxta, non supra tumulum, columna vel petra statuebatur.

Cum Rex Josias lapidem quendam sepulchralem inter sepulchra Sacerdotum Paganorum spectasset, cujus viri esset monumentum illud interrogavit (g), atque sibi respondentes audivit recondi in eo virum Dei, qui missus à Deo ad Jeroboabum, venturum annunciavit Josiam Regem Juda, qui Dei honorem assereret, atque super Altare Bethel ossa Pseudo-Prophetarum combureret (h). Epitaphia addebantur in hanc plerumque formulam concepta: Lapis iste appositus est ad caput N. filii N. sepulti die N. anno N. qui requiescit in horto Eden cum omnibus justis, qui ibi à principio fuerunt. Amen, amen, Sela; sive: Ejus anima alligetur in horto Eden. Amen, amen, Sela; sive tandem: Monumentum istud, sive statua erecta est juxta caput illustrissima, sanctissima, purissima Virginis Rebecca filie Sancti Samuelis Levita, qua obiit bonâ probitatis famâ, die septimâ mensis Thebet anno 135. Ejus anima ligetur in horto Eden. Amen, amen, amen, Sela. Sed hæc epitaphia, & formulæ recentissimæ sunt, nec satis inter se conveniunt. Nulla epitaphii vestigia extant apud Veteres; eorum enim loco habebant sepulchrum, quod conceptissimè epitaphii loco erat. Traditione enim receptum tenebatur, hunc lapidem, hanc columnam, talem cavernam certi hujus viri mausoleum esse. Benjamin Tudelensis iter agens in Palestina hanc inscriptionem Abrahami sepulchro appositam legit: Hæc est sepulchrum Abrahami beati Patris nostri. Sed hæc recentiora sunt.

Cæmeteria appellantur à Judæis domus viventium, quò certum de fide resurrectionis documentum exhibeant (k). Cum ed pompa aliqua funebris pervenerit, ad defunctos ibi sepulture mandatos conversi, tanquam superlites in hæc verba alloquuntur (l): Benedixit Dominus, qui vos creavit, pavit, nutrit, ac tandem è mundo per suam justitiam eduxit. Ille vestrum omnem numerum servat, ille constituto tempore vos ad vitam revocabit. Benedixit sit Deus, qui & mortem inducit, & vitam restituit. Religiosè tumulos observant (m), ut nec trajicere illos, nec deducere supra aqueductum, vel regiam aliquam viam, struem lignorum ponere, pascere oves, duo mortuorum corpora alterum supra alterum in eadem fossa, etiam post diuturnam temporis ætatem, sibi permillum arbitrentur. Religionis pars est apud ipsos construere Synagogas, sive Profecas juxta sepulchra Sanctorum, & virorum insignium totius gentis. Ita constituta spectatur Synagoga juxta monumenta Ezechielis, Zachariæ, Mardochei, Esther. Frequenter juxta sepulchra oratori conveniunt, persuasum habentes, quemadmodum certum nos etiam tenemus, plurimam sitam esse in precibus vim, nec modici esse nobis momenti sanctissimorum virorum preces (n).

An unquam saltem rarò aliquo exemplo contigerit, ut Judæorum corpora igni traderentur, non satis convenit inter Scriptores. Servatum id in veteribus quibusdam Hebræorum Regibus, ut scilicet igni, priusquam sepulture, traderentur, ex monumentis quibusdam insinuat. Cives Jabes Galaad rapta è mœnibus Bethsan Saulis & Filiorum corpora combusserunt (o). Incensæ pyræ Asa Regis Juda corpus traditum est (p); quo honore privatum fuisse Joram ejus Nepotem conceptis verbis expressum legimus 2. Par. 21. 19. Diem clausurum in pace Sedeciam, atque Regio

k Leo Modena p. 5. c. 8.

l Buxtorf. Synag. cap. 35.

m Ligfoot. Cent. Corogr. cap. 100.

n Vide Basnag. hist. des Juifs l. 7. c. 24. num. 24. & Nicolai de Sepul. Hebr. l. 4. c. 6.

o 1. Reg. 31. 12. p 2. Par. 16. 14.

gio ejus cadaveri parentandum, non omisâ corporis combustione, juxta receptam in decessoribus consuetudinem, Jeremias 34. 9. prædixit. Amos 6. 10. ingenti quadam lue vastandam urbem Jerosolymam denuncians, futurum prædixit, ut frequens decem vitis familia, ne uno quidem reliquo, desolaretur: Et tollet eum (nempe postremum ex decem) propinquus suus, & comburet eum, ut offerat ossa de domo; & dicet ei qui in penetralibus domus est: Numquid adhuc est penes te? & respondebit: Finis est. Nequicquam tamen hæc, apertissimis licet exemplis repugnantibus, contendunt quamplures, morem cadavera comburendi, vel nunquam apud Hebræos obtinuisse, vel rarò (q). Exempla verò laudata non de corporum combustione illi interpretantur, sed de aromatibus, & facile etiam ædium utensilibus & vestibus, quæ juxta cadavera cremabantur. Laudant in hanc sententiam Chaldæum, & Rabbinos. Sed apertior videtur Textus fides, quam ut omnis concrematio corporis apud Hebræos exulasse credatur; quamquam non ita combusta credimus, ut in cineres redigerentur: facile consumptâ igni carne, nuda ossa unâ cum cineribus in tumulum inferebantur.

Deducto ad cæmeterium funere, emisâque ad mortuos, quam supra recitavimus, prece, deponitur cadaver, statimque si rerum gestarum gloria defunctus ille utcumque claruerit, ejus laudes è cœtu aliquis funebri oratione prosequitur, quem sanè morem tenent è vetustissimis repetitum fontibus, quemadmodum ex Scriptura, Authoribus Ecclesiasticis & Prophanis docemur. Apud Egyptios judicium ferebatur de Rege illo defuncto, antequam corpus sepulture mandaretur (r). Fas erat unicuique ejus memoriam sive laudibus celebrare, sive etiam vituperare pro gestis relictis pravisque. Quod autem in Regibus, datâ proportione cum privatis servabatur. Vetus est etiam funebrium elogiorum mos in Ecclesia Christiana. Extant adhuc elogia illustrium quorundam defunctorum, inter quæ servata legimus in Scriptura elogia Saulis, Jonathæ (s), Abner (t), Josæ (u), Judæ Macchabæi (x). His peractis, fossam illam feralem circumcinctam Judæi, prolixam quandam orationem simul recitantes (y), quam justitiam judicii ideo appellant, quòd de æquitate Divini judicii in mortuum pronunciat gratias agant. Incipit oratio ab illo Deuter. 32. 4. Dei perfecta sunt opera. Supponitur capiti defuncti angustus quidam fœcus terrâ oppletus, clavis feretrum firmatur; tum si vir aliquis decesserit, decem viri feretrum decies circumeunt, precem quandam pro defuncti anima recitantes. Propinquor inter Cognatos vestis suæ angulum ferunt. Sed hæc ab omnibus æquè Judæis non servantur. Demittitur deinde in tumulum cadaver, id observantes, ut vultum habeat ad Calum conversum; subclamentibus interim omnibus: Ite in pacem, seu potius juxta Talmudistas: Ite ad pacem. Id etiam superstitionis à quibusdam

q Vide Gejer. de Luctu Hebræor. c. 6. s. 6. Nicolai l. 2. c. 3. de Sepulchr. Hebr. Basnag. Hist. des Juifs l. 7. c. 35.

r Diodor. l. 1. Herod. l. 2.

s 2. Reg. 1. 18. t 2. Reg. 3. 33. 34. u 1. Par. 25. 24. 25. x 1. Macch. 10. 21. y Buxtorf. Synag. Jud. cap. 5.

observatur, ut defuncti vultum ad orientem convertant; sed hæc impunè ab aliis omituntur. Projiciendæ primò super cadaver terræ munus est propinquioris inter cognatos, à quo veluti emisso signo, certatim deinde sequuntur omnes terram pallâ vel manu aggerentes, quousque reliquo solo fossa adæquetur. His peractis, retrorsum incedentes è cæmeterio se recipiunt; id tamen observantes, ut antequam exeant, quisque ter carptas herbas retrò projiciat, addentes: Florebunt sicut fanum terra (z) s quod servati à se dicunt, ut eo documento spem resurrectionis demonstrarent, simulque illud ingerant (a): Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus tanquam flos agri. Cinere etiam caput aspergunt, ut nunquam excidat è memoria illud; Pulvis sumus, & in pulverem revertemur (b). Sunt qui ultimum vale dicant defunctis in hæc verba: Sequemur vos juxta ac naturæ ordo reposescit. Antonius Margarita Germanus (c) è Judæo Christianus, narrat post abscessas in cæmeterio vestes, omnes ingenti edito strepitu clamantesque se è loco recipere, metu ne fortè audire contingat clamores defuncti, cujus corpus terrâ pressum, muribus nasi extremitatem admordentibus, inquietatur. Habent enim persuasum, iis, qui clamores illos casu audierint, intra 30. dierum spatium fatalem horam imminere. Christianus Gerson narrat, è cæmeterio reduces septem vicibus in via assidere, quòd scilicet, inquam, Dæmonibus funebrem pompam comitantibus se recipiendi, atque ad propria remeandi tempus permittatur (d).

Secundum hæc, Synagogam petunt; namque ea, quæ de legali impuritate è funebribus contractâ in lege sancita sunt, hæc contrario usu abolita supra jam animadvertimus. Antequam locum sanctum ingrediantur, manus lavantes pronunciant illud Iai. 25. 8. Præcipitabit mortem in sempiternum, & auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie, & opprobrium populi sui auferet de universa terra; quia Dominus loquutus est. Vix igitur Synagogam subeunt, assidentes novem vel septem vicibus locum immutant, simul etiam recitantes in defuncti solamen precem illam, quam vocant Sanctam, miscentes interdum sententias aliquas concepto dolori suo relevando aptas, veluti [g]: Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei Cali commorabitur. Tunc propinquiores cognati in ædes suas se recipientes, terre assident (h); detractisque calcamentis, appositum sibi panem, vinum, & ova tosta degustant, juxta illud Proverb. 31. 6. Date siceram marentibus, & vinum iis, qui amaro sunt animo. Qui consuetam benedictionis formam super cibum pronunciat, apta simul solando afflicto verba permiscet. In Oriente & alibi etiam non infrequenter solent domestici & amici toto hebdomadæ spatio prandium cœnamque largiorem ad propinquos defuncti mittere; nec rarò ipsi non invitati accedunt, quòd scilicet solamen aliquod mœstis afferant.

z Psalm. 16. 16.

a Iai. 40. 6.

b Gen. 3. 19.

c Apud Gejer. de Luctu Hebr. c. 6. s. 17.

d Christ. Gers. pag. 1. Talmud. Jud. c. 36.

g Psalm. 90.

h Leo Modena p. 4. 69.